

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Dissertationem De Coeliaca Passione, Gratioussimae
Facultatis Medicae Indultu**

Kummer, Johann Gabriel

Basileae, 1709

Thesis XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-41461](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-41461)

uti pertinax icterus , interdum dysenteria aut ulcus intestini tenuis , consolidatum quidem , sed ita , ut à cicatrice indurata , plura vascula oblitterentur & coalescant. In ictericis res evidens est , ductus extremitate vel mucagine viscida obducta , vel bile viscida , in ipso ductu moram gerente , & cum particulis suis salino-terrestribus in calculos non raro concrecente : post dysenteriam verò exquisitam & diurnam , vasorum ejusmodi coalescentiam vel obliterationem subsequutam fuisse , cum chyloso ejusmodi fluxu , experientia sæpius comprobavit.

T H E S I S X I I .

Inter causas procatarticas , omnia ea recenserem merentur , quæ mucaginem viscidam in Massa Humorali adaugere , bilem in erem reddere , vel ejus , simulque pancreatici succi & lymphæ intestinalis excretionem , in intestinum tenue sufflammare possunt : qualia sunt aër nebulosus , crassus , frigidior , cibi frigidi , humidi , viscidi , duri , flatulenti , facile corruptibiles , difficilis concoctionis e. gr. citrulli , cucumeres , melones , poma , pyra , pruna cruda comesta , item caro vetusta , falsa , fumo indurata , pisces , ostrea , cochlea , ova frixa , pasta farinacea , acetaria , lactinia , caseus , nimis pingua , &c. Cujusmodi cibi omnes , quatenus vel mox corrumpuntur , vel ad crassorum viscidorumque humorum generationem multum faciunt huic affectui ansam præbere possunt. Neque hic silentio prætereundum censemus Saccharum & Saccharata omnia , utpote quæ ad generandos in corpore nostro humores viscidos sunt aptissima ; hinc etiam est quod in Anglia Rachitis tam sit familiaris , ob solum sacchari abusum , omnibus enim pultibus magnam sacchari quantitatem immiscere solent. *A frigida copiosa potatione affectum hunc illico produci testatur Aretæus de morbis diurnis libr. 2. c. 7. item à carnis suillæ & vervecinæ pinguioris esu largiore , & superingesto potu frigidiore , passionem hanc subsequutam esse , observavit Clariss. Mebius in Epist. Institut. Medicinal. libr. 2. p. 3. c. 5. p. 188. Superfedemus hic recensere , quæcunque huic malo pabulum subministrare possunt ex causis non naturalibus , uti otium , vitam sedentariam , nimium somnum , morfitiam*

fitiam, curas & sollicitudines, item potum paucum, mustum recens, vinum minus probè defœcatum, potum aquæ paludofum, spirituum ardentium crebram ingurgitationem.

T H E S I S XIII.

Affectus nostri differentias quod concernit, desumimus eas vel à genere, ratione cujus vel multum vel parum chyli, cum alvinis facibus dejicitur. Vel à materiâ quæ excernitur, & est chylus nunc simplex, nunc mistus vel alio modo se habens, Vel à causis, quæ nunc radicata est, ceu supra innuimus, nunc mitior, uti cum, ex ingestione nimia fructuum horariorum malum hoc subito infestat. Vel à duratione, cum alia diu, alia brevi temporis spatio affligit.

T H E S I S XIV.

Signa diagnostica coeliacæ passionis, sequentia sunt: tales appetitu fruuntur, more sanorum, in primis ab initio morbi, & nisi Ventriculus per *συνπάθειαν* sit coaffectus, de die ter vel quater dejiciunt, excreta nunc pultacea sunt, nunc magis solidiuscula, nunc cinericei nunc gryseicoloris, vel albicantia aut etiam confusa, quandoque faeces solidæ sunt, sed chyli particulis hic illic innatantibus perspersæ progressu temporis virium sentitur jactura, vertigo, corporis emaciatio, inde pallidi redduntur, & imbecilles, neque munera sua peragere possunt, sicuti robusti, & sani solent, ob succi alimentaris & hinc etiam spirituum defectum ingravescentem.

T H E S I S XV.

Signa causerum, utrum ab assumtis seu alimentis seu medicamentis hic affectus fuerit productus, aut num alius morbus præcesserit nec ne? partim ab ægro, partim ab iis qui præsto sunt sciscitari oportet. Utrum autem à distributione chyli in vasa lactea læsa, & hinc obstructione vel occlusionem totali vasculorum lacteorum aliquot, an vero à secretionem chyli à materiâ sæculentâ læsâ malum procedat, inde dignoscimus: in posteriori casu excrementa pul-

B

tacea